

*Aestus sic-
citas.*

*Vitium fru-
gū duplex.*

*Partiū Vni-
uersitatis
repugnā-
tiæ.*

*Animus
belli cu-
pidus.*

*Maximi-
lianus.*

Nego ab æstu, à uentis, à siccitate, fruges corrūpi. Quis enim id uerè demonstrat? Duplex est ventorum genus: gemina item siccitas & æstus. Aquilones nūquam perniciosi, à meridie uēti pestilentes. Aestus Euronoti formidandus, cum uentis Etesijs nequaquam. Salutaris, hyberna siccitas, æstiuā non item: Demum est cum in uentis, tū in æstu omni duplex gradus. Nam à nimio damnum, à magnitudine non semper. Ergo non benè concludis, magni sunt uēti & siccitates, ergo læditur natura, & animalium esca. Et quæ ex terra proueniunt, duplici læduntur modo: uel enim est rerum paucitas, uel putrefactio, in primo caritas, in secundo morbi, non tamen pestilentia indubitata. Et vitari possunt plantæ, animalibus minimè læsis. Nō enim hæc ipsa perpetua sunt, neque unus est gradus in uitij natura, siue agentis, siue patiētis. Elementis cœlū, & elementum elemento repugnat: & sæpè vires elementorum, cœlo ac stellis, nec rarò ipse homo, suo mentis uigore, elementis & cœlo resistit. Est citra pestem fames, & sine caritate pestilentia nonnunquam. Pereunt oues ualētibus capris, & boues non læso porco, & pecora omnis generis homine inuiolato confici possunt. Verū enim uero, afficiatur, ut uultis, humanum genus. Fel, ut scribitis inflammetur, ergo mox bellū & cædes? Contrarium ego cerno: si enim ad morbos ac pestes excipiendas corpus afficiatur, nihil minus quàm bella sunt metuenda. Nā si quis ardeat bellandi libidine, cum primum inuaserit digituli dolor, uel morbi semina intus oriantur: mox debilitata natura, spiritibus infirmis castrorum & pugne abijcitur animus. Valētis enim nimitūq; robusti corporis, est bellum & ardor militaris. Et neque id perpetuum est, ut exacerbatis & æstuantibus animis, & rebus omnibus ad bellum promptis bellum geratur. Quid si etiam in cāpū prodeant, etiā castra castris opposita sint? Recordare Maximiliani clemētissimi Cæsaris in Turcas expeditionē. Ex Hispania, Italia omni, uniuersa Germania, copiae coguntur, bellū fuit siue bellicus apparatus, præliū tamen

men